

bio Sequestro per mediam urbem Tarson Ciliciæ decurrit. Simile legitur apud Plinium lib. 5. cap. 27. ex Tarso monte oritur si credimus Arriano de gest. Alexandri lib. 2. Quintus Curtius lib. 3. scribit de eo in hunc modum. Cydnus inclytus amnis, non spacio aquarum, sed liquore memorabilis, quippe leui tractu è fontibus labens, puro solo excipitur, nec torrentes incurrunt, qui placide manantem alueum turbent. Itaq; incorruptilis idemq; frigidissimus, quippe multa riparum amœnitate inabratus, ubiq; fontibus suis similis in mare euadit. Afferit Solinus cap. 51. gentili lingua Syros quicquid est candidum, Cydnũ vocare, vnde huic amni datum nomen. Podagricis mederi auctores sunt Plin. lib. 31. cap. 2. & Strabo lib. 14. **VTI IN SICILIA FLVMEN EST HIMERA.** Hoc flumen Stesichorus apud Vibium Sequestrũ ait in duas findi partes, vna in Tyrrenum mare, altera in Lybicum decurrere. Solinus Himeræum vocat, traditq; cœlestibus mutari plagis, amarum esse dũ in Aquilonem fluit, dulcem vbi ad meridiem flectitur. **VNCTI OLEO ERVMPVNT, VTI SOLIS (QVOD OPPIDVM EST CILICIAE) FLVMEN NOMINE LIPARIS.** Hoc Plin lib. 31. cap. 2. Polyclytus (inquit) afferit expleri olei vicem iuxta Solos Ciliciæ fontem. Theophrastus hoc idem fieri in Æthiopia eiusdem virtutis fonte, Lycus, in Indiæ terris fontem esse cuius aqua lucernæ ardeant, idẽ Ecbatamis traditur. Solinus cap. 43. in Æthiopia non longè ab Heliutrape scribit esse lacũ quo perfusa corpora velut oleo nitescunt. **Audio etiam nũc Dezerfæ Baniariæ loco, fontem esse**